Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 137
Quelle:
Copyright:

uangelia legantur. ſoli IIII^or euangeliſte matheus. marcus. lucas. iohannes apud maiores noſtros pondus auctoritatis comprobati ſunt obtinere &c. neque Autoris mihi noti eſt.

LXXXIX.

R. 1636 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 108. f. charactere grandi eleganter exaratus, auro coloribusque diſtinctus, priusque *Bibliothecae Civicae Vindobonenſis* complectitur S. *Matthaei Evangelium* utraque Gloſſa, tam ordinaria, quam interlineari Textum diverſimode, concinne tamen circumdante ſtipatum. In anteriore Theca et *fol.* contiguo comparet Annus 1381. *decembris 5^to.* et *Tabula* adcurate exhibens, quid ex iſthoc Evangelio, et quo die per annum in Eccleſia legatur. Huic Tabulae praegrandibus literis ſubſcriptum eſt: *Is liber ſpectat Carnario Cimiterij S. Stephani Wien.* quod theca poſteriore continuatur ſic: *anno Mille^o quadrin^o XLIII^o.* Vides *Carnarium* aliud eſſe a *Coemeterio*, dicendum potius *Oſſarium*, in quo videlicet Oſſa diu ſepulta, ut recentibus cadaveribus locum facerent, e tumulis eruta, praecipue Calvariae, per ſeries erigebantur. Sacellum, et fortaſſe D. *Magdalenae* nunc terrae aequatum, *Carnario* adfuiſſe, et in hujus Veſtiario, vulgo *Sacriſtia*, ut mos erat, Codicem noſtrum cum aliis ſervatum fuiſſe, credibile eſt.

Additum eſt huic Codici *Euangelium Nicodemi*, quod Sec. XV. 16. foll. ſcriptum incipit: *Factum eſt nono decimo Teberii ceſaris imperii romanorum et Herodis inperii gallilee Anno XIX principatus eius VIII Kalendas apprilis hoc eſt XXV die menſis Marcii conſulatus Rufi vellionis* &c. Unum Exemplar *Vol.* I. P. I. *col.* 453. recenſitum dedi hujus ſpurii Foetus, et hoc *Vol.* jam iſtud tertium refero. Habet ad calcem *Pilati Epiſtolam* priorem, eique Fabulam adnectit de *Tiberio* aegroto ſpe valetudinis recuperandae *Voluſianum* ad *Chriſtum Hieroſolymas* ablegante, qui cum intelligeret, eum a *Pilato* morti traditum, Praeſidi exitium accerſivit. Nihil de hac Fabula reperi in *Cod. Apocr. N. T. Fabricii.* Ceterum confer, quae de ipſo *Evangelio* ad alia Exemplaria dixi, et *Phil. Jac. Lambacherus* in *Bibliotheca antiqua Vindob. Civica* 1750. 4. edita de hoc Codice p. 26. commentatus eſt; neque enim aut res, aut effrenis Librariorum licentia, qua in trajiciendo et corrumpendo textu uſi ſunt, plura meretur.

XC.

Codex membraneus lat. Sec. R. 2220 XIV. Folior. 78. f. min. columna anguſta media luculente exaratus, minutius vero inter lineas et in marginibus, olim Bibliothecae Epiſcopatus *Neoſtadienſis*, S. *Matthaei Evangelium* exhibet *Gloſſa*